



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. II. Resolutio difficultatis propositæ,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](#)

## DISPUTATIO PROOEMIALIS

ab eo excludat motus anxietatis & dubitationis: quod non habet locum in nostra Theologia, ob defectum claritatis, & evidentiæ, quæ caret in hoc statu viæ. Unde in patria, in qua erit conjuncta cum scientia beata, cui subalternatur, & ratione hujus conjunctionis, habebit non solum certitudinem, sed etiam evidentiam suorum principiorum, erit certior omni cognitione naturali, non solum secundum se, sed etiam quanto nos.

## ARTICULUS VI.

*An Theologia sit habitus, non solum extrinsecè & objectivè, sed etiam intrinsecè & entitativè supernaturalis?*

## §. I.

*Premittenda ad resolutionem questionis?*

**N**otandum primum: scientiam esse quendam habitum per demonstrationem acquisitum, seu quandam qualitatem, in intellectu residentem, & permanentem, quæ inclinatur ad rectè, faciliter, constanter, & delectabiliter discurrendum circa aliquod objectum, & cui deserviunt species intelligibiles, diversa objecta representantes: unde cum Theologia sit scientia, est habitus quidam, per demonstrationem Theologicam acquisitus, quod intellectus inclinatur ad rectè, suaviter, ac delectabiliter discurrendum de Deo, & rebus divinis, & ad deducendas conclusiones certas & infallibilis, ex principiis revelatis, & fide divinâ creditis. Quærimus ergo, an talis habitus sit intrinsecè & entitativè supernaturalis, aut extrinsecè tantum & objectivè, sive, ut alii loquuntur, radicaliter & præsuppositivè? Pro cuius resolutione.

Notandum secundo: de supernaturalitate alij effectus, non esse judicandum ex causa remota & mediatâ, sed ex proxima & immediata: unde si ista sit purè naturalis, effectus etiam erit in entitate naturali, nec excedet ordinem & limites naturæ. Ratio est, quia virtus causa remotæ & radicalis, modificatur, determinatur, & veluti deprimitur per influxum & operationem proximæ & immediate: ut constat in influxu solis, & aliorum corporum cœlestium, qui modificatur & determinatur à causis proximis & inferioribus. Et hoc præcipue habet locum in scientiis, in quibus, ut communiter dicitur, conclusio sequitur debiliorē partem, & magis sapit naturam & conditiones principij proximi, quam remoti. Unde videmus ex assentu primorum principiorum, & aliâ præmissâ, non generari habitum primorum principiorum, sed alium inferioris ordinis, nempe scientiam, vel opinionem; & licet Major sit scientifica, si tamen Minor sit opinativa, non causatur scientia, sed opinio.

Notandum tertio: principia Theologiae (scilicet articulos fidei, ex quibus conclusiones Theologicae deducuntur) duobus modis posse considerari: primo quatenus sunt in se absolute vera, & prout dicunt ordinem ad primam veritatem revealantem; secundi quatenus dicunt ordinem ad conclusiones, quæ ex illis inferri possunt, mediante discurso; & quatenus eas virtualiter continent, vel in illis virtualiter continentur. Primo modo talia principia sunt formaliter revela-

A ta, & pertinent ad habitum fidei: secundò modò spectant ad Theogiam, inferentem conclusiones ex illis principiis, vel conclusiones jam deductas in illa resoluentem, nec sunt formali, sed virtualiter tantum revelata, aut relevantia ipsas conclusiones.

## §. II.

*Resolutio difficultatis propositæ.*

**D**ico igitur: licet habitus Thologiae, sit ex-trinsecè & objectivè; vel radicaliter & originativè supernaturalis, quia versatur circa ob-jectum supernaturale, & dependet ab habitu fi-dei, in quo tanquam in semine, vel radice continetur; intrinsecè tamen & secundùm suam entitatem, naturalis est. Ita communiter sentiunt nostri Thomistæ, Navarretta, Ioannes à S. Thoma, Philippus à S. Trinitate, & alij qui de hac materia scripserunt: quanvis aliqui recentiores, in manuscriptis oppositum doceant, & existimant Theogiam esse habitum entitativè supernaturalis.

Probatur primo conclusio ratione quæ communiter utinam nostri Thomistæ. Nullus habitus entitativè & intrinsecè supernaturalis, aucti-bus nostris acquiritur: Sed Theogia acquiritur nostris auctibus: Ergo non est habitus entitativè & intrinsecè supernaturalis. Minor expresse docetur à D. Thoma, tum in Prologo sent. quæst. unicâ art. 3. quæstiunc. 3. vbi hæc scribit: *Sicut habitus primorum principiorum habetur à natu-ra, sed acquiritur habitus conclusionum ex pri-mis principijs deductarum: ita etiam in hac do-ctrina, non acquiritur habitus fidei, qui est quæst habitus principiorum, sed acquiritur habitus eo-rum quæ ex eis deducuntur.* Tum etiam hæc art. 6. ad 3. & 2. 2. quæst. 54. art. 1. ad 2. ubi adducens discriben inter sapientiam, quæ est donum Spiritus Sancti, & nostram Theogiam, asserit illud in eo consistere, quod illa habetur per in-fusionem, ista vero per studium humanum ac-quiritur. *Sapientia (inquit) que ponitur donum Spiritus Sancti, differt ab ea que ponitur virtus intellectus acquisita: nam, HÆC ACQUIRITUR STUDIO HUMANO, illa autem est de sursum de-scendens, ut dicitur Iacobi 3.* Id etiam experienciâ constat, cum modus connaturalis acquirendi ha-bitum Theogiae, non sit eum expectare ab in-fusione Spiritus Sancti, sicut expectari debent prophetia, gratia miraculorum, & alia gratia gratis data, quæ non omnibus fidelibus con-ceiduntur: unde videmus eos solum qui vacant specula-toribus, lectionibus librorum, & aliis literarum exercitiis, talem habitum acquirere, non vero eos qui otio indulgent, & hujusmodi studia & exercitia negligunt. Major vero, in qua videtur consistere difficultas, suaderi potest, tum quia omne ens supernaturalis per se petit causas supernaturales, & excedentes nostram acquisitionem; tum etiam, quia nullus est assignabilis alius habitus supernaturalis, qui per nostros actus acquiratur.

Nec valet si dicas, nostram Theogiam, eti si sit entitativè supernaturalis, posse tamen auctibus nostris acquiri, non vero alios habitus supernaturales, quia illa supponit fidem, à qua potest causari tanquam ab habitu primorum principiorum. Non valet, inquam, si enim ex hoc quod Theogia præsupponat fidem, posset inferri quodipla, eti si entitativè supernaturalis, tamen

a<sup>c</sup>tibus nostris acquiri posse, eadem ratione posset dici, omnes virtutes morales, per se infusa, esse a<sup>c</sup>tibus nostris acquisibilis; illa enim presupponunt charitatem, per quam voluntas adhaeret fini ultimo, qui se habet in operabilibus, respectu electionis mediorum, sicut prima principia in speculabilibus, respectu conclusio-  
num: sicut enim intellectus per assensum principiorum compleatur ad assensum conclusionum; ita & voluntas per intentionem ultimi finis, cui per charitatem conjungitur, redditur potens ad electionem mediorum, ad quam virtutes morales per se infusa ordinantur. Ex eadem etiam responsione sequeretur quod prudentia infusa esset a<sup>c</sup>tibus nostris acquisibilis, cum illa pariter suppōnat fidem, in qua virtualiter & tanquam in semine continetur; & quod omnes scientiae deberent dici innatae, quia continentur virtualiter in habitu primorum principiorum, qui à natura nobis inditus est.

Huic rationi, qua fundamentalis est, respondent aliqui, negando minorem primi syllogismi: quavis enim (inquit) Theologia nostra exigat necessariò ad sui productionem, a<sup>c</sup>tus naturalis discursus, hoc tamen non impedit, quin sit supernaturalis & infusa, quia scilicet ille discursus naturalis, non requiritur tanquam causa productiva Theologiae, sed solum tanquam conditio, sive dispositio ex parte subjecti, conaturaliter requirita ad infusionem illius habitus, quod non impedit, quin ille sit supernaturalis, sicut non definit charitas esse supernaturalis, quavis ad ejus infusionem plures a<sup>c</sup>tus voluntatis, per modum dispositionis praequirantur.

Sed contra primò: hoc soluto aperte contradicit doctrinæ D. Thomæ, afferentis locis supra adductis, habitum Theologiae non infundi, sed studiō humanō acquiri.

Secundò, eodem modo requiruntur a<sup>c</sup>tus nostri ad acquisitionem Theologiae, quo exiguntur ad acquisitionem aliarum scientiarum: Sed ad acquisitionem aliarum scientiarum requiruntur per modum causæ, non vero per modum conditionis, aut dispositiois: Ergo & ad acquisitionem Theologiae. Minor docetur communiter à Philosophis, & patet ex definitione scientiæ, quæ definitur, *habitus per demonstrationem acquisitus*; in tali enim definitione, demonstratio quæ ex a<sup>c</sup>tibus nostris componitur, ponitur sine dubio tanquam vera causa scientiæ, & non solum tanquam conditio; ridicula enim esset definitio, quæ tradiceretur per conditionem ad aliquid prærequisitam, & causam per se illius omitteret. Major etiam non videtur minus certa, tum quia Theologia univocè convenit in ratione scientiæ cum aliis, ac proinde eodem modo quō alia definiri debent, habitus per demonstrationem, subindeque per a<sup>c</sup>tus nostros, acquisitus: tum etiam, quia nulla videtur assignabilis ratio, cur demonstratio sit propriè causa aliarum scientiarum, & solum conditio respectu Theologiae, cùm non minus requiratur ad acquisitionem Theologiae, quam aliarum scientiarum.

Tertiò, cùm studium & discursus humani intellectus, sit a<sup>c</sup>etus purè naturalis, non potest habere rationem dispositionis ad habitum Theologiae, si ille sit entitatè supernaturalis, & à Deo infusus: Ergo prædicta solutio repugnantia & contradictionia involvit. Consequentia patet, Antecedens probatur. Dispositio & forma ad quam disponit, debent esse intra eundem ordinem, ex quo inferunt Theologi in tractatu de gratia, ho-

A minem ex facultate naturæ, & viribus liberi arbitrij, non posse se dilponere ad primam gratiam: Ergo si Theologia sit habitus supernaturalis, & à Deo infusus, repugnat quod a<sup>c</sup>etus purè naturales nostri intelleximus, ad ejus receptionem vel infusionem disponant.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio. Si discrus & ratiocinatio nostra esset dispositio ultima & immediata ad infusionem Theologiae, vel esset dispositio requirita ex aliquo pacto & promissione Dei, vel exigetur ex natura rei,

B ita quod ea posita impossibile esset, saltem de via ordinaria, quod non infundetur talis habitus, sicut positus a<sup>c</sup>tibus contritionis, impossibile est non infundi gratiam: Neutrū dici potest: Ergo &c. Minor quoad primam partem videtur omnino certa, tum quia nullibi reperitur hujusmodi pactum aut promissio facta à Deo; tum etiam quia ille qui hujusmodi a<sup>c</sup>etus discursus exercet, est saepe maximus peccator: dicere autem quod Deus, quotiescumque peccator voluerit exercere a<sup>c</sup>etus naturalis discursus, teneatur statim ipsi infundere habitum entitatè supernaturalem, videtur omnino absurdum. Probatur vero quo-

C ad secundam partem, ratione jam insinuata. Immediata & ultima dispositio, ad alicuius formæ receptionem ex natura rei requirita, & cum tali forma necessariam habens connexionem (qualem habent a<sup>c</sup>etus discursus cum Theologia) debet esse ejusdem ordinis cum illa: sed si Theologia sit entitatè supernaturalis, hujusmodi a<sup>c</sup>etus discursus, utpote entitatè naturales, non erunt ejusdem ordinis cum tali habitu: Ergo non poterunt esse ultimæ dispositiones, ex natura rei requiratae ad ejus infusionem.

D Probatur secundò conclusio alia ratione quam notabili secundò insinuavimus. De naturalitate vel supernaturitate alicuius rei, iudicandum non est ex causa remota & radicali, sed ex proxima & immediata: Atqui habitus Theologiae procedit immediate & proxime, à potentia naturali, inquantum naturali: Ergo entitatè naturalis est. Major pater in a<sup>c</sup>tibus fidei & charitatis, qui sunt entitatè supernaturales, quia licet procedant radicaliter & remotè ab intellectu & voluntate, quæ potentia sunt naturales, tamen causa eorum proxima & immediata, nimirum habitus fidei, vel charitatis, est entitatè supernaturalis; & in naturalibus videmus quod influxus causa remota & radicalis, modificatur & determinatur per influxum & operationem cause proximæ & immediatae, ut constat in influxu Solis, & aliorum corporum celestium, respectu effectuum sublunarum, qui in natura & specie semper convenienter cum causis particuliaribus. Minor vero suadetur: ille habitus pro-

E cedit immediate & proxime à potentia naturali, ut naturalis est, qui tantò majorem habet perfectionem, quanto potentia illa naturalis habet majorem & perfectiorem virtutem naturalem: Sed habitus Theologiae, & a<sup>c</sup>etus per quos acquiritur, tantò sunt perfectiores, quanto intellectus habet majorem & perfectiorem virtutem naturalem; patet enim quod illi qui habent intellectum acutiore, melius, ac plures percipiunt veritatis Theologicas, quam illi qui minus subtile ingenium sortiti sunt; & quavis ad Theogiam prærequiratur habitus fidei, ex majori tamen vel perfectiori habitu fidei, non colligitur major perfectio habitus Theologiae, cùm plures mulierculæ sapissimè in habitu fidei ex-

## DISPUTATIO PROOEMIALIS

cedant præstantissimos Theologos.

Ex his intelliges, quod ut aliquis habitus vel actus, sit entitativè supernaturalis, oportet necessariò quod à causa totali supernaturali immediatè attingatur, ita ut potentia naturalis non concurra ad illum immediatè per seipsum, sed mediante virtute supernaturali, quæ sit tota vis agendi proxima. Ex quo inferunt nostri Thomistæ in Tractatu de visione beatifica, duos intellectus inæquales in perfectione naturali, cum æquali lumine gloria, æqualiter videre Divinam Estantiam, & intellectum naturaliter imperficiorem, qualis est intellectus humanus, respetu Angelici, si unico gradu luminis gloriae excedat Angelicum, perfectius videre Deum, quam Angelicum: cum ergo id non reperiatur respectu Theologiae, sed totum oppositum, & inter fidèles, non illi qui majori fide prædicti sunt, sed qui acutiori & præstantiori pollent ingenio, melius percipiunt veritates Theologicas, & plures conclusiones videant in principiis revelatis, manifestum est, fidem non influere in Theologiam, per modum causæ proximæ & immediatæ, sed solum per modum causæ radicalis, & remote, subindeque illam non esse entitativè supernaturalē, sicut est fides, sed naturalem, sicut vis discurrendi & ratiocinandi intellectus humani.

67. Tertio suaderi potest conclusio: scientia non desumunt suam specificationem à ratione formalis quæ, nisi prout substantia rationi sub qua, unde si ratio sub qua alicujus scientie, sit naturalis, illa supernaturalis entitativè esse nequit: Sed ratio sub qua Theologia, est entitativè naturalis: Ergo & ipsa Theologia. Major patet, Minor probatur: ratio sub qua Theologia, illam distinguens à fide, & scientiis purè naturalibus, est revelatio virtualis: Sed illa intrinsecè & entitativè naturalis est, & supernaturalis solum extrinsecè & præsuppositivè, cum illa nihil aliud sit, quam vis naturalis intellectus creari, ut deducens per discursum naturalem intellectus, alias conclusiones ex principiis revelatis, & fide divina creditis: Ergo ratio formalis sub qua Theologia, intrinsecè & entitativè naturalis est.

Confirmatur: in articulis fidei, qui sunt principia nostræ Theologiae, duplex ordo distinguendus est; alter ad primam veritatem revelantem, alter ad conclusiones ex illis per discursum naturalem deducibiles, ut notabili tertio declaravimus. Primus ordo est supernaturalis, & specificat habitum fidei; alter naturalis, & specificat habitum Theologiae, illumque distinguit à fide, que non est discursiva, sed immediatè assentitur principiis revelatis; unde licet fides sit intrinsecè & entitativè supernaturalis, non tam Theologia, sed illa medium tenet locum inter fidem & scientias purè naturales; non enim est perfectè & entitativè supernaturalis, sicut fides; neque totaliter & omni ex parte naturalis, sicut Physica vel Metaphysica, sed naturalis simpliciter & entitativè, & supernaturalis secundum quid, seu radicaliter & objectivè, ut magis ex solutione argumentorum patebit.

## §. III.

## Solutio objectionum.

68. Objiciunt in primis Adversarij authoritatem D. Thomæ, qui h[ic] art. 1. appellat Theologiam, scientiam revelatam, et divinitus inspiratam. Et art. 3. ad 2. afferit illam esse veluti

A quandam impressionem divinae scientie, quæ est entitativè supernaturalis.

Sed facile responderetur, S. Doctorem solum velle quod Theologia sit virtualiter seu radicaliter revelata & inspirata, id est dependens à fide, quæ divinitus nobis revelatur & inspiratur. Similiter cùm afferit illam esse veluti quandam impressionem divinae scientie, loquitur de impressione seu participatione virtuali, non vero de formalis: cùm enim Theologia continetur in fide tanquam in semine, & veluti in habitu primorum principiorum, & in principia fidei suas resolvat conclusiones, recte dici potest impressio seu participatio virtualis divinae scientie, quantum ad certitudinem, cujus fides est formalis expressio seu participatio.

Objiciunt secundò: illa scientia est supernaturalis quantum ad speciem, subindeque quantum ad entitatem, cuius specificativum formale est supernaturalis: Sed specificativum formale Theologiae est supernaturalis: Ergo & ipsa Theologia. Major patet, Minor probatur. Specificativum formale in scientiis, sunt ipsa principia, prout sub sunt tali vel tali abstractioni, & prout illuminant conclusiones, que ex illis per discursum naturalem intellectus deducuntur: Sed principia Theologiae sunt supernaturalia, sunt enim ipsi articuli fidei, ex quibus per discursum conclusiones Theologiae deducuntur: Ergo specificativum formale Theologiae, supernaturalis est.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem, concedo etiam Majorem, & distinguo Minorem. Principia Theologiae sunt supernaturalia formaliter & reduplicativè, nego: materialiter & specificativè, concedo. Soluto patet ex supra dictis: nam, ut supra ostendimus, articuli fidei, qui sunt principia Theologiae, non ingrediuntur demonstrationem Theologicam, nisi prout substantia lumini & discursu naturali intellectus humani, quo mediante illuminant conclusiones Theologicas, quæ in ipsis virtualiter continentur: unde quā talia, non sunt supernaturalia formaliter & reduplicativè, sed materialiter tantum & præsuppositivè; subindeque ipse habitus Theologiae, qui ab ipsis specificatur, radicaliter solum & objectivè supernaturalis est, non vero formaliter & entitativè.

Dices, lumen & discursus intellectus humani se habet solum per modum conditionis applicantis principia revelata ad conclusiones Theologicas: Ergo licet ille sit naturalis, non sequitur habitus Theologiae esse entitativè naturalem. Consequens patet, nam specificatio & quidditas rei sumitur ab ejus causa formalis, non vero à conditione purè applicante. Antecedens vero probatur: eodem modo se habet discursus naturalis intellectus ad Theologiam, sicut premissa naturalis in demonstratione Theologica: Sed premissa naturalis est tantum conditio applicans, ut supra diximus: Ergo & discursus naturalis intellectus.

Respondeo negando Antecedens, ad cuius probationem, nego etiam Majorem, & partem; premissa enim naturalis in demonstracione Theologica, requiritur solum per accidens, & propter defectum intellectus nostri, nec est necessaria in Angelis, aut in Beatis, ut supra explicatum est: discursus vero naturalis, sive formalis, sive virtualis, pertinet ad essentiale constitutivum cuiuscumque scientie, sive Theolo-

69:

70.